



## **Forum Beneficiale, Sive Quæstiones & Responsa Canonica**

Materiam De Beneficiis Universam Ex Beneficialistarum tam antiquorum, quàm recentiorum placitis complectentia. Opus methodo novâ, & clarâ in tres digestum Partes ... accuratè, ac copiosè instructae

De Provisione Et Obtentione Beneficiorvm

**Leuren, Peter**

**Coloniæ Agrippinæ, 1704**

251. An illa pæna privationis, adeóque devolutio juris eligendi non incurratur, nisi postquam ex votis eligentium scienter indignum, aut aliàs illegitimè formatum est publicum & capitulare decretum ...

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74485](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74485)



*Questio 250. Penes quos sit jus eligendi, quando Capitulares scienter elegerunt indignum, vel etiam postularum ad administrationem in spiritualibus, vel temporalibus ante postulationem à Superiore admissam, vel sine ejus licentia receperunt, adeoque pro ea vice privati sunt potestate eligendi?*

**R**espondeo primò: si aliqui tantum elegerunt indignum (idem, uti & sequentia applica recipientibus taliter postulatam) electione illà, utpote invalidà, rescissà, potestas eligendi residet penes reliquos. Abb. in c. cum Vintoniensis. h. r. num. 2. possuntque hi statim eodem contextu decretum facta à se electionis, si in ea consentiant, promulgare, vel novum scrutinium, aliis exclusis, inchoare. Abb. loc. cit. num. 12. Laym. de Elect. q. 64. Pirh. num. 47. (ubi cavendum, ne minor pars id faciat, priusquam ab Eligentibus indignum tale decretum formatum sit, aliis eorum electio foret quoque irrita, utpote non facta à majore parte Capituli; cum ante tale formatum decretum eligentes indignum necdum privati erant jure eligendi, de quò paulò post) quinimo remanet hæc potestas penes unicum, si illo excepto, reliqui omnes elegerunt indignum. Gl. in c. perpetuo. &c. h. r. in 6. in notatis.

2. Respondeo secundò: si omnes Capitulares elegerunt indignum, potestas eligendi pro illa vice devolvitur ad Superiorem; In Metropolitanis quidem & Cathedralibus Ecclesiis ad Papam; in aliis verò inferioribus Ecclesiis non exemptis ad proximum Superiorem, ad quem aliàs spectat electum confirmare. c. quanquam. h. r. in 6. ibid. Gl. magna in notatis. Abb. loc. cit. num. 2. Pirh. num. 48.

3. Respondeo tertio: si Capitulares in prima Electione innocentes, in secunda electione, & ipsi omnes elegerint indignum, potestas eligendi non devolvitur ad eos, qui in prima electione fuerant nocentes, sed ad Superiorem, cujus est electionem confirmare, non secus, ac si omnes ab initio deliquissent. c. bona. h. r. juncta Gl. v. ad nos. ubi etiam ait, adverbium illud pariter non denotare identitatem temporis; sed similitudinem delicti, jam enim Capitulares omnes quoad istam electionem privati sunt jure suffragii. Laym. loc. cit. Pirh. num. 49.

*Questio 251. Num igitur pœna illa privationis non incurrat, adeoque non procedat illa devolutio juris eligendi, priusquam ex votis eligentium scienter indignum, vel etiam eligentium contra formam à jure can. præscriptam subsequuta sit communis electio, hoc est, formatum ex iis sit publicum & capitulare decretum electionis?*

**R**espondeo affirmativè (nisi forte vel per privilegium, vel consuetudinem inductum esset in Ecclesia aliqua, ut electio facta à majori parte Capituli præsentis ex votis à singulis præstitis, & publicatis in Capitulo, censeatur esse perfecta; tum enim eligentes scienter indignum pœnam illam privationis incurrunt, etsi communis illa electio necdum secuta. Laym. in c. perpetuo, & ex eo Pirh. hic num. 50.) Nam licet de cætero jam data sint à singulis suffragia, promulgatumque etiam sit scrutinium, adhuc non censetur perfecta electio ante formatum decretum solennis & publicæ, seu

P. Leuren. Fori Benef. Tom. 11.

communiter nomine omnium facta electionis. cit. c. perpetuo. &c. ibid. Gl. v. perseverant, & c. in Genesi. h. r. Imol. & Jo. Andr. ad c. congregato. h. r. Abb. loc. cit. num. 5. In privato siquidem scrutinio, in quo singuli singulariter dant sua vota, propriè loquendo non eligunt, sed potiùs nominant eligendum, ut colligitur ex c. congregato. h. r. Abb. ibidem. num. 3. Electio autem propriè dicta illa est, quæ post peractum & publicatum scrutinium fit communiter nomine omnium. c. perpetuo. h. r. in 6. quare poterunt ac debent etiam illi, qui ante indignum elegerant, ad electionem aliam procedere. cit. c. perpetuo. Rectè autem ii, qui non elegerunt indignum, consulunt juri suo, si permittant cæteros numero plures, qui elegerunt scienter indignum, procedere ad decretum electionis publicæ; cum enim poterunt isti pauciores sibi soli jam eligere, utpote ad quos jam cæteris privatis jus eligendi devolutum est; Laym. de Elect. q. 64. & ad cap. Vintoniensis. num. 4. In quo casu dici non poterit absolute facta electio à minore parte Capituli; sed potiùs à toto Capitulo; quia isti, etsi numero pauciores, penes quos solos tunc est potestas eligendi, aliis eà privatis, repræsentant totum Capitulum per fictionem juris. Abb. ad c. congregato. h. r. num. 4. citatus à Pirh. num. 56. Quòd si cæteri privati voluerint se huic electioni intrudere, & moniti non desistant turbare Capitulares non privatos, poterunt ab his etiam per vim expelli, per se loquendo & secluso scandalo, aliisque extrinsecis incommodis. Dummodò tamen notorium sit illos pro illa vice privatos esse jure eligendi; secus si de eo dubitetur; nemo enim in causa non manifesta potest sibi ipsi jus dicere; Unde tunc aliter sibi providere debebunt non privati. Vide Pirh. num. 54.

*Questio 252. An Capitulares, ad quos propter delictum aliorum eligentium indignum tota potestas eligendi pro ea vice devoluta est, possint, si velint, illos voce privatos admittere ad novam Electionem?*

**R**espondeo affirmativè. Gl. in c. cum Vintoniensis. h. r. v. admiserant. ibid. Innoc. & Abb. cum communi. Privatio enim illa cedit in favorem non delinquentium; ideoque ab iis remitti potest. Pirh. num. 51. Et quamvis, qui indignum elegerant, suspensi sint à beneficio, non tamen ab officio (possunt enim & debent tempore illius suspensionis celebrare officia, ac ideo modicam sustentationem ex beneficiis percipere possunt, ne carentes proprio patrimonio, nec aliunde habentes, omnino egeant) adeoque, quantum est ex eorum parte, eligere non prohibentur, modo alii illos ex gratia admittere velint. Gl. ibidem. Requiritur autem ad hanc admissionem, ut omnes omnino, nemine illorum innocentum dissentiente, in eam consentiant. Abb. in cap. cum Vintoniensis & in c. scriptum. h. r. In statuendis enim sine necessitate, vel utilitate publica, per quæ præjudicatur juri singulorum (uti contingit per talem admissionem, cum, pluribus admittis, plerumque minus efficax sit votum cujuslibet) omnium consensus necessarius est, valè que reg. juris 29. in 6. quod omnes tangit, ab omnibus debet approbari. & 56. eod. in re communi melior est pars prohibentis, id est, unus & solus, si se in tali casu opponat, omnes impedire & prohibere potest, ne aliquid intentum: Porro postquam semel admittitur, vel semel ab electione exclusi fuerunt, jam cessat

K 2

eorum